

Plantae rariores  
in  
Dalmatia recens detectae  
a  
Roberto de Visiani, M. D.  
et  
plurium Academiarum Sodali.

Alter jam habitur annus, ex quo Floram dalmaticam illustraturus, stirpium rariorum hac in provincia nascentium specimen edidi \*), cui aliud quotannis mea cura accessurum esse tunc temporis pollicebar. Placuit Academiis spectatissimis, Botanicisque clarioribus opus illud insperata benevolentia completi, minus profecto ut labores meos aequa mercede rependerent, quam ut juvenilem animum gloriolæ cupidum laudis oblectatione alliciendo ad majora excitarent. Quorum exspectationem ne viderer aut consulto ignorare, aut ingrate negligere, in patriam reversus sedulo incubui ac totus in eo fui, ut plantas ejusdem indefesso labore inquirerem, subtiliores eorumdem differentias eruerem, dubias species vivorum speciminum contemplatione illustrarem, novas describerem, falsas delerem.

\*) Stirpium Dalmaticarum specimen, Auctore Roberto de Visiani. Patavii, typis Crescenianis, MDCCCXXVI.

Hoc consilio veterem Dalmatiam venetam, illam scilicet quae Tedanium et Naronem interjacet, vere et aestate anni proxime elapsi longo et laborioso itinere rimatus sum, ex quo Florae dalmaticae herbarium magnopere excrevit, atque materies volumibus pluribus accomodata in praesto fuit.

Librorum tamen plurimorum penuria, caelatorum hic loci defectus, plurium specierum inopia qui buscum necesse esset plantas aliquot dalmaticas sedulo comparare, vetuit in praesenti tum stirpes detectas eadem ratione ac forma typographica in lucem edere, qua usus fueram in opere nuper citatum eas tute ac sine ulla dubitationis nota pro novis proponere. Ne vero hae diutius laterent plantae, quarum partem amicissimi et egregii botanices cultoris Jos. Tommasinii curis et diligentiae me debere, grato animo, et lubentissime testor; utque botanicorum de iisdem judicia aliquo modo exposcerem atque tentarem, non aliis prorsus inutile, mirive vitio vertendum opus me futurum putavi, si pro tempore specierum minus cognitarum, illarum scilicet quae notis pluribus a stirpibus affinibus mihi notis abludunt, diagnoses, ut ita vocant, seu comprehendiosas descriptiones ac differentias evulgarem.

Aequi bonique faciant viri in re herbaria praelari hoc qualecumque messis amplissime spicilegium, meque de speciebus minus bonis, vel observationibus minus rectis humaniter admonere non desinant.

1. *Andropogon pubescens* mihi.

*A.* spicis axillaribus terminalibusque longe pendunculatis vaginatis geminis, vaginis glabris, pedunculis apice pubescentibus, flosculis hirsutis arista sextuplo brevioribus, foliis angustissimis glaucis brevibus sparsim pilosis, culmo simplici. 24 v. v.

Hab. in graminosis maritimis loco Dobarce dicto prope Vvullin inter Onaeum et Mucarum.

*Obs.* Affinis *A. hirto*, qui differt vaginis villosis, pedunculis apice pilis longis distiche barbatis, flosculis arista quadruplo brevioribus, foliis late linearibus glabris multo longioribus, et culmo ramoso. Floret Junio.

2. *Phleum echinatum* Host. Ic. gram. austriac. Vol. III. p. 8. tab. 11. (1803.)

*P.* spica subovata, glumis calycinis basi ciliatis apice truncatis carina acuminato-aristatis, aristis florum superiorum calyce longioribus, omnibus angulatis scabris demum divergentibus, radice fibrosa annua. ① v. v.

Vulgaris in tota Dalmatia litorali.

*Syn.* *Phl. felinum* Smith Prodr. Fl. Graec. i. p. 42. (1806.)

*Obs.* *P. felinum* Sm. unum idemque esse ac *P. echinatum* H. praeter concordantiam characterum utriusque plantae a botanicis expositorum me docuit autopsia stirpis siculae a cl. Gussone pro *P. felino* communicatae, quae cum nostro *P. echinato* omnibus in notis ad unguem consentit. Certe diagnoses

et differentiae a. b. m. Roemero et Schulteso in *Syst. veg.* vol. II. pag. 380 — 81 adductae utrisque speciebus accomodantur; non ita vero res se habet quoad notas, quibus cel. Sprengel hasce plantas distinguere conatus est in suo *Syst. veg.* vol. I, p. 241 — 42. Ipse enim tribuit *P. echinato* spicam compositam subovatam; calyces truncatos ciliatos aristatos, et folia serrulata; *P. felino* econtra spicam ovatam, et calyces acutos glabriusclos acuminato-aristatos. Attamen, venia tanti Viri, et ex plena stirpis dalmatica cognitione, asserere non dubito, spicam *P. echinati* forma ovali nunc magis nunc minus oblonga frequenter ludere, prout variat loci natalis natura, nunquam tamen, etiam in locis ferocioribus, eam compositam reperiisse; calyces utriusque speciei truncatos esse, sive, ut ipsius cl. Smithi verbis utar, *obtusissimos et basi tantum ciliatos*; carinam vero glumarum in aristam basi latiorrem, dein sensim attenuatam produci, sive esse acuminato-aristatam, ut ipse optime expressit sub *P. felino*; folia denique margine vix scabriuscula. Arista florum inferiorum breviores sunt quam in aliis, et calyces vix adaequant. Ex quibus patet duas hasce species in unam jugendas esse.

### 3. *Asperula canescens* mihi.

A. undique cano-scabra, radice perenni, caulis adscendentibus annuis tetragonis ramosis, foliis quaternis planis, inferioribus ellipticis oblongitive, superioribus linearibus, supremis valde inaequ

libus, floribus axillaribus terminalibusque paucis fasciculatis corollae laciiniis apice transverse bifidis, fructibus glabris asperis. 24 v. v.

Hab. in colle S. Georgii in agro Sibenicensi. Julio.

Obs. An *A. seabra Presl?* mihi tantummodo nota ex diagnosi nimium brevi a cl. Sprengelio exarata in *Syst. veg. vol. I.* p. 395. Videtur tamen differre foliis non cuspidatis, omnibus quaternis et si inaequalibus, non summis oppositis. Praeterea in hac diagnosi nullus fit sermo de caulis fructuumque asperitate, deque dentibus in quos corollorum laciniae in mea specie bifida dividuntur. Hae quoque, ut caeterae plantae partes, scabrae sunt ex pube quadam minima rigida densa canescente.

#### 4. *Galium rupestre* mihi.

G. glabrum viride, caulis quadrangulis difusis dichotome ramosissimis basi lignosis, ramis divaricatis, foliis subsenis linearibus acutis margine revolutis scabris, supremis oppositis, floribus laxe paniculatis, axillaribus solitariis, terminalibus subgeminis inaequaliter pedunculatis, corollis campanulatis obtusis, fructibus glabris laevibus. 24 v. v.

In rupestribus Onaei, Vvullia, mont. Biokovo, Turrie. Junio, Julio. Fl. albi.

5. *Campanula Pumilio Portenschlag*, Roem. et Sch. *Syst. V.* p. 136. Trattinnick *Enum. Pl. dalm.* p. 13 — 14. tab. 2.

C. suffruticosa subacaulis caespitosa, foliis patentibus lanceolato-linearibus obtusiusculis, margi-

6

ne involutis, supra niveo-pilosis, subtus glaberrimis carinatis, floribus terminalibus solitariis sessilibus, calycibus hispidulis persistentibus; laciis linearibus demum reflexis, corolla tubuloso-campanulata, stigmate bitubo. 24 v. v.

Hab. in jugo Troglav nuncupato montis Biokovo.  
Junio. Julio.

*Obs.* Descriptio hujusce speciei in *Syst. veg. b. m. Roemeri et Schultesi Vol. V. p. 136* primum data, utpote quae a sicco specimine sumpta, pluribus scatet mendis. Folia enim non recurva sunt sed recta patentia, in sicco tamen aliquantis per curvantur; margines eorum non revoluti sive deorsum inflexi, sed potius involuti sive sursum; ipsa non super nitida glaberrima subtusque niveo-pilosa, sed e contra. Melior profecto atque exactior diagnosis a cl. Trattinickio data loco citato, sed nimum brevis, nec characteres formae pubisque foliorum sat perspicere expositi. Icon opellae ejusdem bona: praestat tamen observare, caules in hac specie nunquam adeo elongari ut sub littera a tab. 2., quae sane non representat plantam subacaulem, nec calyces adeo produci, sed breviores esse, pilis sparsis obsitos, nec exacte ciliatos. Optima e contra pars b ejusdem tabulae.

6. *Campanula serpyllifolia* mihi.

C. pumila caespitosa, caulis diffusis decumbentibus unifloris, foliis obverse lanceolatis obtusis retusisve integris glabris margine ciliatis, caulinis

sessilibus alternis, radicalibus rosulatis basi longe attenuatis subcrenatis; floribus bracteatis, calycibus 5-fidis: lacinias oblongis obtusis ciliatis, corolla campanulata 5-loba obtusa. 24 v. v.

Hab. in Biokovi jugo excelsiori, S. Georgii nuncupato. Floret Junio. Julio.

*Obs.* Plantula elegans caulis bracteis calycibus corollisque purpurascientibus, inter *Campanulas primae sectionis Syst. veg. 1. pag. 725. cl. Sprengelii adnumeranda.*

7. *Hyoscyamus varians mihi.*

*H.* lanuginosus viscidus, foliis petiolatis sinuato-lobatis obtusis, inferioribus subcordatis, floralibus ovatis basi attenuatis subintegris, floribus racemosis secundis subsessilibus, infimis longe pedunculatis, corollae tubo incurvo intus atropurpureo demum viridi, limbo irregulari, lobis tribus superioribus majoribus planis. ①. v. v.

Ad muros et in ruderatis totius Dalmatiae littoralis. Fere semperflorens.

*Obs.* Inter *H. aureum* et *album* medius, floribus priori, notis reliquis alteri similis, immo ipsi affinis uti *H. nigro H. pallidus* Kit. Corollae fundus ante anthesin atropurpureus dein viridis, antherae majusculae lilacinae dein albidae. Huc videtur pertinere *H. albus* Bull. *Herb. de la France*, t. 99. ob colorem corollae (litt. c.); in qua icones desiderantur flores inferiores, ac ideo discerni nequit utrum pedunculati sint nec ne. Icon haec ex cl.

8

Smith i auctoritate exhibet *H. album* ♂ Linn., quem speciem esse distinctam ipsem et suspicatur in *Flor. graec. Cent. III.* p. 25.

8. *Anchusa microcalyx* mihi.

*A. hispida*, caulis debilibus subsimplicibus, foliis planis: radicalibus obverse lanceolatis basi attenuatis obtusis repandis: caulinis lanceolatis sessilibus acutis integris; racemis pedunculatis conjugatis alternis, basi foliolatis, laxis, calycibus hispidissimis 5-fidis corollae tubo recto brevioribus, bracteolis duplo longioribus, fructiferis erectis, forniciis, apice incrassatis truncatis glabriusculis, nucibus rugosis apice acute bicostatis, basi umbilicatis. 24 v. v.

Hab. circa pagum Verlika ad margines agrorum. Julio.

*Obs.* Calyces parvi, minores etiam quam in *A. semperfivente*.

9. *Cerinthe purpurea* mihi.

*C. caule erecto superne ramoso*, foliis amplexicaulibus obtusis glaucis crassiusculis laevibus integris albo-maculatis, inferioribus spathulatis basi attenuatis, superioribus cordatis, corollis conico-clavatis faucent versus subtus ventricosis, limbo constricto, dentibus obtuse triangularibus reflexis brevissimis.

◎ v. v.

In sylvaticis Boraja inter Sibenicum et Tragurium. Majo.

*Obs.* Nimirum affinis, nisi eadem, *C. retorta* *Sm. Fl. Graec. Cent. I.* p. 60 — 61, tab. 171.

Attamen in nostra corollae non flexae dupli  
curva, ac propemodum sigmoideae, ut in illa, sed  
tantum apicem versus inferius gibbosae, et dentes  
non acuti patentes, sed reflexi obtusiusculi. In de-  
scriptione insuper speciei tum Florae Graecae loc.  
cit., tum Syst. veg. vol. p. 711—12. Röm. et Sch.  
nullus sermo de maculis foliorum. Haec in viridi  
laevia, in sicco autem aspera ob verruculas albidas  
antea in textu foliorum immersas, et exsiccatione  
extus eminentes. Pars plantae floralis ex violaceo  
purpurascit, in sicco autem atropurpurea est aut  
cyanaea.

10. *Herniaria rotundifolia* mihi.

H. radice perenni, caulis prostratis herbaceis  
ramosis puberulis, foliis elliptico-subrotundis obtu-  
sis crassis glabris subciliatis petiolatis, floribus axil-  
laribus glomeratis glabris sessilibus. 24. v. v.

In maritimis graminosis ins. Apsyrtidis prope  
Lofsin piccolo in portu Cigale. Aprili.

11. *Anthriscus Cerefolium* mihi.

A. glabra, caule striato dichotomo geniculis tu-  
midis, foliis triternatis petiolatis, foliolis late ovatis  
basi obliquis inciso-pinnatifidis, laciinis oblongis  
obtusis; vaginis floccoso-ciliatis margine membrana-  
ceis, umbellis axillaribus terminalibusque, involucro  
monophyllo lanceolato, involucellisque polyphyllis  
ovato-lanceolatis reflexis acuminatis margine mem-  
branaceis, fructibus fusiformibus muricato-tubercu-  
losis, stylis divergentibus. ♂? v. s.

10

Hab. in monte Sella supra Ascrivium. Floret Junio.

*Obs.* Ex *Anthrisci* speciebus a cel. Sprengelio enumeratis in *Syst. veg.* 1. p. 904, uni *A. fumori-oidi* mihi ignotae videtur affinis, a qua tamen, ex diagnosi, differt caulis ramificatione ac nodositate, foliis minus compositis, laciniis glabris latioribus, vaginis floccosis margine tantum scariosis, umbellis axillaribus terminalibusque.

12. *Pastinaca selinooides* mihi.

*P.* glabra, caule erecto striato ramoso, foliis petiolatis pinnatis, inferiorum foliolis ovato-cuneatis inciso-pinnatifidis, laciniis ovatis lanceolatisque integris margine scabris subtus venosis, superiorum lanceolatis subintegris, involucro subnullo. ♂

Circa pagum Vertika in herbidis, pratis. Autumno. v. v.

*Obs.* Genere ambigit inter *Selina* et *Pastinacas*: at fructus forma, et affinitas cum *P. pimpinellifolia* M. B., a qua tamen differt characteribus a cl. Sprengelii datis in *Syst. v. p. 913.*, stirpem nostram *Pastinacis* adnumerant. Flores albi, subtus fructusque rubri.

13. *Ornithogalum saxatile* mihi.

*O.* scapo recto, foliis glaucis unicoloribus canaliculatis late linearibus ciliatis, racemo ovato oblongo, bracteis lanceolato-linearibus longe acuminatis flores aequantibus, pedunculis fructiferis erectis, pe-

11

talis oblongis alternis obtusis, filamentis subulatis,  
basi latioribus. 24 v. v.

In saxosis agri Scardonitani et Sibenicensis. Fl.  
April.

*Obs.* Simile *O. cornoso*, tamen distinctum fo-  
liis ciliatis latioribus, et racemo longiore.

An *O. collinum Gussone Ind. semin.* 1825, vel  
ac *O. gargaricum Tenore ad Ind. sem. Append.*  
1827? quae mihi ignota. Videtur tamen differre ab  
illo quia nullam habet cum *O. naro* similitudinem,  
cui illud omnino simile ex Auctore, ab hoc scapo  
recto et pedunculis racemosis non corymbosis.

14. *Scilla amethystina* mihi.

S. bulbo glabro, foliis lanceolatis acuminatis  
glabris planis, scapo folia subaequante, racemi ab-  
breviati pedunculis coloratis sparsis, bracteis am-  
plexantibus parvulis, corollae planae lacinis ovatis  
obtusis, antheris bifidis. 24 v. v.

Hab. in pratis udis circa salonas. Floret Majo.

*Obs.* Affinis *S. hyacinthoidi* etiam indigenae,  
quae tamen ab ipsa discrepat magnitudine omnium  
partium multoties majori, bulbo tomentoso, foliis  
obtusioribus margine tenuissime ciliatis, scapo multo  
brevioribus, racemo longissimo ac forma antherarum.

15. *Dianthus integer* mihi.

D. glaber, caule laevi prostrato diffuso, ramis  
adscendentibus gracilibus unifloris, foliis linearibus  
planis margine scabris, calycis squamis late ovatis

## I2

quaternis inaequaliter aristatis, petalis obovatis integris imberibus brevibus. 24. v. v.

*Obs.* Flores albi parvi, calyce atrorubente. Caulibus decumbentibus et fere repentibus saxa Biokovi obvestit ac hilarat prope jugum Troglav. Fl. mensa Julio.

### 16. *Dianthus racemosus mihi.*

D. glaber, radice lignosa, caulis laevibus erectis simplicibus, foliis linearibus rigidis acutis canaliculatis margine scabris, floribus solitariis fasciculatis laxe racemosis secundis, inferioribus pedunculatis, supremis sessilibus, calycis squamis triplici serie imbricatis lanceolato-acuminatis nervosis, margine scariosis, petalis obovatis imberibus integris.

24. v. v.

In agri Sibenicensis collibus humilioribus asperis alle Torette, S. Giorgio et Jadera.

*Obs.* Species inflorescentiae forma ab omnibus distinctissima. Fl. rosei vix odori. Julio, Augusto.

### 17. *Silene Tommasinii mihi.*

S. undique viscoso - pubescens, pumila, caule gracili ramoso basi lanuginoso, foliis radicalibus spathulatis petiolatis, caulinis lanceolato-linearibus sessilibus, floribus dichotome paniculatis, calycibus conico-clavatis, petalis emarginatis. An 24. ? v. s.

In Mte. Sella supra Ascrivium. Julio.

*Obs.* Inter S. alpestrem et quadridentatam media: differt ab illa caule ramoso, ab hac foliis latioribus obtusioribus, ab utraque pube viscida om-

nium partium, ne calyce quidem excepto, et petalis emarginatis non 4-dentatis. Seminum cilia lente tantum conspicua, dum in illis semina sunt marginato-fimbriata, ciliis nudo oculo visilibus.

18. *Helleborus multifidus mihi.*

*H.* caule elato angulato bifido, ramis paucifloris, foliis radicalibus longissime petiolatis amplis coriaceis glabris pedato-partitis, lobis dichotomis basi integris cuneatis, laciniis anguste lanceolatis acuminatis argute mucronato-serratis venosissimis, floralibus palmato-partitis subsessilibus, sepalis late ovatis. **24**  
v. v. fructific.

In tota Dalmatia montana. Fl. Aprili, Majo.

*Obs.* An *H. dumetorum* Kit? Videtur differre magnitudine majori, foliis multifidis, laciniis angustis elongatis, floribus copiosioribus. Certe distinctus ab *H. viridi* quorum *Helleborum dumetorum* junxit cl. Sprengel in *Syst. veg. vol. 2 p. 659.*

19. *Satureja parviflora mihi.*

*S.* caule fruticuloso pubescente ramoso, foliis lanceolato-linearibus margine revolutis glabris, pendunculis axillaribus oppositis subtrifloris folia subaequantibus, pedicellis inaequalibus bracteis duplo longioribus, floribus post anthesin cernuis, calycibus labiatis fauce villosis, dentibus ciliatis, tribus superioribus brevioribus latioribusque **24** v. s.

In montibus Pastrovich in extremo Dalmatiae confinio prope Albaniam. Augusto.

*Obs.* Florum characteres potius *Thymi* quam *Saturejae*. Habitus tamen, et affinitas stirpis cum *S. graeca* *Saturejam* esse ostenderunt. Differt ab hac specie foliis multo angustioribus glabris, floribus longe pedicellatis paucioribus, calycis dentibus forma et longitudine inaequalibus.

20. *Stachys fragilis mihī.*

*S.* glabriuscula, caule erecto ramoso fragili, foliis oblongo-lanceolatis obtusis, inferioribus subcrenatis latioribus, superioribus linearibus integris, spicis terminalibus solitariis ternisve aggregatis, verticillis contiguis 6-7 floris, bracteis ovato-cordatis acuminatis bracteolisque setaceis integris canescens-tibus, calycibus campanulatis pubescentibus aristatis, corollae labio superiori fornicato integro pubescente, inferioris lacinia media obcordata. 24 v.v.  
Hab. inter Onaeum et Peguntium ad viam, et in montibus Biokovo et Sella.

*Obs.* Flores ochroleuci fauce rubro-punctati.

Pars floralis detrita foetet. Floret Junio.

21. *Stachys menthaefolia mihī.*

*S.* hirsuta, caule adscendente ramuloso, foliis inferioribus petiolatis subcordato-ovatis rectangulo-dentatis, supremis ovato-lanceolatis sessilibus, floralibus integris subcordatis acuminatis, verticillis distinctis sub 10-floris, calycibus campanulatis pubescentibus aristatis, corollae labio superiori pubescente spathulato parvo, inferiore maximo. v. s.

Hab. Ascrivii. Floret Junio.

*Obs.* Foetida, siccata nigrescit. Floret albidi.

22. *Stachys suberenata mih.*

S. hirsuta, caulis diffusis ramosis adscendentibus, foliis oblongo-lanceolatis obtusis suberenatis vel integris, supra lineatis subtus nervosis, inferioribus basi attenuatis, floralibus integris acutiusculis, verticillis distinctis sub-sexfloris, calycibus campanulatis hirsutis aristatis, corollae labio superiori lanuginoso. 24 v. v.

In collibus Dalmatiae montanae. Fl. Julio, Augusto.

*Obs.* Affinis *St. rectae*, diversa tamen foliis multo angustioribus vix remote obtuseque crenatis, calycibus duplo majoribus, corollae galea minori pilis longis erectis barbata. Radix sublignosa. Flores ochroleuci.

23. *Farsetia dalmatica mih.*

F. stellato-canescens, caulis basi suffruticosis, ramis teretibus adscendentibus, foliis obovatis in petiolum attenuatis integris repandisve, stylo longo deciduo, stigmate bilobo. 24.

Hab. in rupestribus Mandetrii et Onaei. Fl. Majo-Junio. v. v.

*Syn.* *F. triquetra* De C. Syst. 2. pag. 290. *Prodr.* 1. p. 158. *Spreng.* Syst. 2. p. 870. *Trattinn.* Enum. Pl. Dalm. p. 15. tab. 10. f. 1.

*Obs.* In diagnosi primum data a cl. De Cand. sequentia emendari merentur. Rami non triquetri sed teretes, qui tantum exsiccatione angulosi fiunt,

quapropter mutandum erat nomen specificum, ut pote falsum. Stigma non simplex sed bilobum. In icona citata, caeterum sat bona, stigma male exhibetur simplex, desunt duo calycis gibbositates, et ad margines silicularum insculpti sunt puncti quidam, qui in planta omnino desiderantur.

24. *Hesperis glutinosa* mihi.

*H. hirsuta glutinosa*, caulis ramosis, foliis radicalibus lyrato-pinnatifidis crassiusculis glabris, caulinis late lanceolatis subpetiolatis basi incisodentatis, apice acuminatis integris, pilosis viscidis; pedicellis racemosis calyce brevioribus subsecundis, petalorum unguibus calyce duplo longioribus, siliquis hirsutis glutinosis patulis demum deflexis subtorulosis, septo fungoso, seminibus oblongis truncatis. 24 v. v.

In sterilibus Zaton Verpolje, Mandetrii, Onaei Brattiae. Fl. Martio.

Syn. *Leucojum saxatile alterum obsoleto flore Column. Ecphr. 2. p. 261. icon p. 262. Hesperis peregrina siliquis articulatis C. B. P. melancholica Park. ex Morison Oxon. t. s. p. 252. Sect. III. tab. 10. f. 5. minus bona.*

Obs. Species *H. laciniatae* All. nimium affinis ex descriptionibus cell. D C. et Spr., non vero Alionii, cuius insuper figura valde a nostra reddit, ut ex comparatione cum optima icona Columnae supra citata quisque facile noscet. Cl. Bertoloni, qui specimen fere originale possidet

plantae Allionii ex herbario Ignatii Molinetii depromptum, in litteris humaniter ad me datis meam plantam ab hac certo certius differre affirmavit, magnitudine omnium partium multo minore, hirsutie, viscositate, foliis altius crebriusque dentatis brevioribus, racemo laxiore subsecundo, siliquis hirtis viscidis, toto denique habitu. His adde folia radicalia non obovata sed lyrata, caulinata e basi dilatata abrupte petiolata nec omnino sessilia, petalorum apicem acutiusculum integrum non emarginatum. Flores noctu graveolentes, sordide rubri, tristes.

25. *Pteroneurum dalmaticum mihi.*

P. glabrum, caule diffuso ramosissimo, foliis pinnatis carnosis glaucescentibus, foliolis obovatis petiolatis trilobis, infimis subpalmatis, siliquis erectis glabris, stylo elongato tereti coronatis, seminibus apice marginatis. ♂ v. v.

Hab. inter saxa mobilia circa Peguntium, in rupestribus circa Duare, in monte Rillich prope Vergoraz, in monte Vermaz circa Ascrivum. Floret Junio.

*Syn. Cardamine maritima Portenschl. in De C. Syst. 2. p. 267. Prodr. 1. p. 153. Trattinn. En. Pl. Dalm. p. 15. tab. 11. Deless. Icon. sel. 2. t. 32. Spr. Syst. IV. part. II. p. 241.*

*Obs.* Calyx patens, siliqua lanceolata, placentae alatae, et funiculi dilatati. Ergo species certe ad *Pteroneurum Cand.* amandanda. His accedit affinitas summa cum *Pteroneuro carnosum* et *graeco*. Semina oblonga sunt, et apice membranula scariosa

marginata, non ovata et immarginata ut in *Cardaminis*. An hi characteres toto generi communes? Nomen triviale speciei inditum a. b. m. Portenschlagio mutavi, utpote quod e falsa, aut saltem minus obvia statione desumptum. Species praedita loca liberis lapidibus strata, ut ceterae hujusce generis.

26. *Vesicaria microcarpa* mihi.

V. herbacea stellato-canescens, caulis rectis divaricatum ramosis, foliis obovato-spathulatis integris, radicalibus petiolatis majoribus, calycibus aequalibus, corymbis fructiferis confertis, siliculis globosis inflatis glabris oligospermis, stylis persistentibus, seminibus marginatis. ☺ v. v.

Hab. in monte Biokovo. Floret Junio, Julio.

Obs. Species *Vesicarianis* De C. Syst. 2. p. 296. accensenda.

27. *Astragalus argenteus* Bertoloni ined.

A. sericeus, caulis diffuso-procumbentibus herbaceis basi perennantibus, pedunculis terminalibus longissimis laxe racemiferis, foliis pinnatis 5-7 jugis, foliolis linearibus sensim angustioribus, stipulis liberis, alis corollae integris vexillo brevioribus, leguminibus strictis rectis teretibus acuminatis. 24 v. v.

Hab. in saxosis apricis agri Scardonitani, Sibenicensis, in monte aureo.

Obs. Affinis *A. vesicario* seu *albido* Kit., a quo differt racemo laxe longiore, foliis angustis, calycibus leguminibusque teretibus sericeis.

Primus stirpem detexit in montibus italis cel. Bertolonius, cuius descriptionem porriget in sua Flora italica, opere ob auctoris famam solique amplitudinem atque ubertatem botanicis desideratissimo. Locum obtinet haec species in Serie prima sectionis secundae Dissitiflorum *De C. Prodr.* 2. p. 284, et inter herbaceas adscendentibus pedunculis spicato-racemiferis folio longioribus *Spr. Syst.* 3. p. 300.

28. *Lathyrus aristatus mihii in Append. semin. H Patav.* 1826.

*L. pubescens*, caulis procumbentibus angulosis, foliis bi-triugis, inferiorum foliolis late cuneatis retusis brevibus mucronatis, superiorum linearibus elongatis, petioli apice aristato anelice, stipulis semisagittatis dentatis, pedunculis folio brevioribus solitariis unifloris articulatis ebracteatis nutantibus, demum incurvis, vexillo apice bilobo, leguminibus oblongis polyspermis nitidis glabriusculis, seminibus globosis laevissimis ○ v. v.

In collibus agri Sibenicensis locis herbidis. Flores albidi. Aprili.

29. *Lathyrus stans mihii.*

*L. glaber*, caulis tetragonis erectis ramosis rigidis, foliis unijugis: foliolis lanceolatis quinquenerviis obtusis mucronatis, petioli apice aristato anelice, stipulis semisagittatis unidentatis, pedunculo solitario unifloro ebracteato longioribus, corolla calyce paullo longiora, vexillo incumbente, leguminibus linearibus apice latioribus subincurvis torulosis

tenuissime reticulato-venosis glabris, seminibus globosis. ◎ v. v.

Hab. in vineis, satis agri Sibenicensis. Junio.

*Obs.* Affinis, si cui, *L. sphaerico*, a quo differt habitu rigidiore, cirris nullis, quorum loco foliolum lanceolato-lineare brevissimum, foliolis latioribus brevioribus quinuenervibus obtusis, dum in *L. sphaerico* trinervia sunt et linearia, leguminibus non crasse sed tenuissime nervosis apicem versus incurvis latioribus, dum in altera recta sunt et in acumen attenuantur.

50. *Medicago crassispina* mihi.

M. pubescens, caulis prostratis tetragonis, foliolis obovatis apice argute dentatis, stipulis lanceolatis acuminatis basi incisis, pedunculis trifloris, leguminibus cochleatis ovato-cylindricis glabris, anfractibus quatuor arcte adpresso venosis, aculeis rigidis conicis incurvis reflexis distichis, margine inter aculeos saliente tenui acuto, seminibus inaequaliter reniformibus oblique truncatis. ◎ v. v.

In insula Crappano, et in illa cui superstructa est arx maritima D. Nicolai ante portum Sibenensem. Majo. Junio.

*Obs.* Aculei in fructibus junioribus subulati, demum crassi conici. Ex descriptionibus auctorum videtur affinis *M. tribuloidi Desrouss.* hac mihi ignota, meam utpote novam descripsi, distinctionem suadentibus pedunculis trifloris non bifloris, anfractibus vix quaternis non quinque, tenuiter reticulato-

venosis non lacunoso - rugosis, aculeis denique multo longioribus, nec illis fructuum *Tribuli terrestris* ullo pacto similibus, uti de sua cl. Desrousseaux.

31. *Trifolium dalmaticum mihi.*

T. pubescens, caulis prostratis apice inflexis, stipulis ovatis membranaceis nervosis, caudis lanceolato-acuminatis, foliolis petiolatis nervosis obovatis tenuissime denticulatis, floralibus subsessilibus, stipulis dilatatis involucrantibus, capitulis ovatis conicis axillaribus terminalibusque sessilibus basi foliosis, calycibus pubescentibus, dentibus linearibus enervibus rectis, demum recurvis corolla monopetala duplo brevioribus. ◎ v. v.

In herbidis totius Dalmatiae. Vere et aestate. Fl. albi vel rosei.

*Obs.* Affine *T. scabro* a quo differt statura multoties majore, caule decumbente gracili non rigido erecto, capitulis ovato-conicis longioribus, dentibus calycinis angustioribus longioribusque enervibus inermibus, corolla monopetala his duplo longiore.

32. *Trifolium succinctum mihi.*

T. hirsutum, caulis adscendentibus, foliis ovoidibus obtusis apice obscure denticulatis, supremis oppositis, stipulis ovatis membranaceis nervosis, caudis lanceolatis; capitulis ovatis terminalibus pedunculatis involuero monophyllo pelviformi margine decemfido succinctis, calycibus compressis basi nervosis, dentibus adscendentibus lanceolatis acuminatis pilosis, infimo duplo longiore. ◎ v. v.

In pratis et herbidis agri Sibenicensis et Salonitani. Majo.

*Obs.* Flores albidi. Species involucri forma ab omnibus distinctissima.

53. *Achillea argentea mih.*

A. radice sublignosa, caulis simplicibus nudusculis incanis, foliis nitide incano-sericeis, radicibus cuneatis longe petiolatis tridentatis vel inciso-pinnatifidis, laciniis oblongis obtusis, caulinis paucis linearibus integris sessilibus, corymbo laxo subsimplici. 24

In devexitatibus rupestribus jugi Troglav in Biokovo. Julio.

*Obs.* Admodum affinis *A. Clavenae*, facies tamen diversa, statura minor, pubes nitida, caules subnudi, folia minus incisa, laciniis latioribus, caulina prorsus integra linearia. v. v.

54. *Centaurea cuspidata mih.*

C. herbacea glabra, caulis adscendentibus angulosis subunifloris, foliis coriaceis utrinque attenuatis cuspidatis glanduloso-punctatis viscidulis, radicibus ovato-lanceolatis subintegris petiolatis, supremis lanceolatis sessilibus integris, vel basi remote dentatis: floribus bracteatis, calycibus ovato-oblongis, squamis glabriusculis alte ciliato-serratis aristatis inermibus, flosculis radiantibus. 24 v. v.

Hab. in rimis rupium montis Biokovo. Floret Junio.

*Obs.* Flores dilute violacei. Folia ex punctis glandulosis praecipue paginae inferioris gluten quadam excernunt, quod exsiccatione in apricis densatur, albescit, et foliis canescentiae speciem impertit, quae

a pilis omnino deficientibus nullimode repetenda. In sectione I. *γ a. a.* \* *Centaurearum cl. Sprengelii Syst. 3. pag. 397.* locari debet.

35. *Centaurea punctata mihi.*

*C. glabra viscidula*, caule elato erecto angulato apice ramosissimo, ramis ample paniculatis multifloris, foliis viridibus glanduloso-punctatis, inferioribus bipinnatis, superioribus pinnatis, laciniis angustissimis tenuibus, supremis floralibusque simplicibus linearibus, floribus basi foliosis, calycibus ovato-oblongis, squamis ovatis appressis, apice fusco-marginatis ciliatis. ◎ v. v.

In agris sterilibus Dalmatiae montanae prope Duare. Julio.

*Obs.* Similis *C. paniculatae*, sed omnium partium glabritie, virore, visciditate, caule solitario erecto, foliis tenuioribus punctis copiosioribus impressis, laciniis angustissimis ad nervum usque productis, plantae magnitudine, florum parvitate satis distincta. Flores rubri.

36. *Centaurea salonitana mihi.*

*C. floccoso-pubescent herbacea*, caule angulosō erecto apice ramoso paucifloro, foliis pinnato-partitis, foliolis oblongo-cuneatis subdecurrentibus obtusis mucronatis scabris subtus nervosis integris, radicalem foliolis infimis basi auritis, foliis supremis oblongo-cuneatis retusis integris, calycibus ovatis pendunculatis, squamis ovatis obtusis glabris viridibus apice scariosis ciliato-serratis, inferioribus aristatis, summis inermibus apice membrana scariosa dilatata appendiculatis, flosculis aequalibus. ◎ v. v.

Hab. prope Salonas ad viam quae Iragurium ducit, et ad sacellum D. Caji. Fl. Junio.

*Obs.* Flores citrini. Squamis omnino viridibus non aridis scariosis, foliisque simpliciter pinnatifidis ac fere pinnatis, foliolis integris obtusissimis apicem versus latioribus discriminatur a *C. tatarica*, cui videtur affinis.

37. *Picris laciniata* mihi.

*P.* multicaulis, setis hamoso-bifidis patentibus hirta, caulis angulosus sulcatis diffusis, apice ramosis, foliis oblongo-lanceolatis remote profunde incisis, laciniis lanceolatis mucronulatis integris, inferioribus basi attenuatis, superioribus sessilibus, summis cordato-oblongis amplexicaulibus integris acuminatis, floribus dichotome paniculatis, pedunculis incrassatis, involucro patente. 24 v. v.

Onaei et Ascrivii in rupestribus. Julio.

Plures adhuc species detexi, quarum partem, deficientibus bibliothecae herbariique subsidiis, nondum satis tute pro novis audeo proponere; pars autem fere eodem tempore inventa et descripta fuit ab egregio et solertiissimo stirpium sicularum indagatore Doct. Johanne Gussone in suo *Florae siculae Prodromo*, ut inter plantas rariores Aprutii et Calabriae, uti *Secale montanum*, *Lithospermum incrassatum*, *Polygonum controversum*, quod tamen non bene distinctum a *P. arenario* Kit., *Phyteuma collinum*, aliasque.



# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1829

Band/Volume: [12](#)

Autor(en)/Author(s): Visiani Roberto

Artikel/Article: [Plantae rariores in Dalmatia recens detectae a Roberto de Visiani, M. D. et plurium Academiarum Sodali. 3001-3024](#)